



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 3. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

centiores, addentes, convenire etiam Eucharistia, si fictio tollatur, antequam species in stomacho corrumpantur. Sexta propugnat, hanc vim consequendam omnibus Sacramentis, uno excepto poenitentiae Sacramento; ita plures Recentiores. Septima etiam contendit nullo excepto, omnibus Sacramentis; ita Cajetanus, Petrus Soto.

29. Fit 4. casu, quo Baptismus reviviscat per attritionem generalem cum Sacramento Poenitentiae, & in eodem signo ad utriusque Sacramenti gratiam disponat, tunc intuitu uniuscujusque Sacramenti tantam gratiam conferri, quanta conferretur, si attritio uni soli Sacramento deserviret. Ratio est, quia virtus unius Sacramenti non impeditur ad causandam gratiam in subiecto disposito ex eo, quod causet alterum Sacramentum, ac proinde tanta gratia correspondet causalitati unius, ac si alterum non causaret; ad eum modum, quo si Pontifex concederet diversas indulgentias visitantibus diversas Ecclesias, praemissa Confessione, & Communionem, non minus deserviret eadem Confessio, & Communio ad lucrandas duas indulgentias, quam si aliquis duobus diebus confessus, & accepta Communionem sigillatim suam Ecclesiam visitaret. Pariter non minus deserviret illa generalis attritio, ut Sacramentum Baptismi, & Sacramentum Poenitentiae suam exercerent causalitatem ex opere operato, ac si diversa unicuique soli attritio, ceteris paribus responderet. Vide num. 39.

SECTIO III.

Solvuntur Opposita.

30. **O**bjicies 1. Ex Vasquez; Augustinus nullum habuit fundamentum ad tradendam eam doctrinam de Baptismo in sensu à nobis explicato; ergo non tradidit illam in hoc sensu. Confirm. Augustinus respectu eorum, qui post Baptismum fide susceptum convertuntur, tribuit remissionem reconciliationi, correctioni, paci unitatis, veraci confessioni, & vinculo charitatis; ergo non tribuit eam Baptismo reviviscendi, sed contritioni aut Sacramento Poenitentiae. Resp. N. antec. quia Augustinus habuit sufficiens fundamentum in illis Christi verbis, nisi quis renatus fuerit &c. ex quibus simul Tridentinum intulit Baptismum in re, vel in voto necessarium esse ad salutem non utrumque, sed ut medium, ex quo debeat homo renasci. Ita Augustinus, qui optimè perspecta habebat ea Christi Domini verba, idem potuit inferre, sicut & intulit.
31. Ad confirmationem dist. antec. tribuit tantam virtuti per se remissivae peccatorum ante Baptismum, N. tanquam dispositioni, con. antec. & N. conseq. quia Augustinus nomine correctionis, pacis, confessionis, & vinculi charitatis solum intelligit reconciliationem

cum Ecclesia, mediante fide, ejusque professione tanquam dispositione necessaria in adultis haereticis, & schismaticis, de quibus igitur loquebatur, ad consequendam remissionem peccatorum respectu Baptismi fide antea suscepti; imò licet Augustinus aliquando loqueretur de confessione Sacramentali, qua tolleretur obex, & causaretur gratia, adhuc optimè inferre vim Baptismi reviviscendi, quia Sacramentum Poenitentiae solum potest causare gratiam per se remissivam peccatorum à tempore Baptismi: solus autem Baptismus inter reliqua Sacramenta causat gratiam per se remissivam peccatorum ante Baptismum, ac proinde quia homo regeneratur, & transferretur à statu filiorum primi Adæ ad statum adoptionis Filiorum DEI, ut loquitur Tridentinum citatum n. 11.

Objicies 2. Instando simul contra secundam illationem: peccata comitantis, vel subsequenter Baptismum, utpote peccata hominis Christiani, non possunt tolli, nisi detur Sacramentum Poenitentiae in re, vel in voto, ut definit Trid. sess. 6. cap. 14. ergo quando post Baptismum fide susceptum adduntur ea peccata, non reviviscit Baptismus, vel si reviviscit, requiritur Sacramentum Poenitentiae in re, vel perfecta contritio, quae sit poenitentia in voto. Confirmatur, quando dantur ea peccata comitantis, vel subsequenter Baptismum ad id in DEO jus contra peccatorem, cui cedere non vult, quando datur sola attritio, nisi detur vel Sacramentum Poenitentiae in re, vel in voto. Respondeo concedens antec. & nego conseq. quia generalis attritio etiam est Sacramentum Poenitentiae in voto, in ve votum Sacramenti Poenitentiae, ut constat à num. 267. de Saeram. ac proinde ea peccata remittuntur per se virtute Baptismi reviviscendi peccata praecedentia Baptismum, & per accidens remittuntur comitantis, & subsequenter propter impossibilitatem formalem, quam habet cum omni lethali ea gratia per Baptismum accepta. Ad Confirm. nego conseq. quia tunc non datur sola attritio, sed etiam Sacramentum Baptismi, quod ut exerceat suam causalitatem, requirit etiam attritionem, ut dispositionem ex num. 27.

Objicies 3. Baptismus fide susceptus ficitur sine ulla dispositione ad gratiam, petendo ac si susciperetur ab infante, imò saepe cum dispositione prava contraria; ergo postea reviviscens non causabit majorem gratiam, quam in infante. Confirm. 1. ille qui suscipit digna Baptismum cum sufficiente dispositione ut *unum*, non recipit tantam gratiam, quam si haberet dispositionem ut *Sex*; sed ille, qui Baptismum suscipit absque dispositione, non debet esse melioris conditionis, quam qui dignè suscipit; ergo licet tollatur fictio per dispositionem ut 6. non recipiet gratiam correspondentem dispositioni ut 6. sed dispositionem ut 1. Confirmatur 2. si tolleretur fictio per dispositionem in eodem signo, in quo aliunde posset causare Sacramentum.

mentum Pœnitentiæ, & Sacramentum Baptismi, non posset utrumque causare; aliter Baptismus remitteret peccata hominis baptizati, & pœnitentia peccata ante Baptismum commissa; ergo &c.

34. Resp. N. consequentiam, quia ex eo, quod Baptismus fide susceptus acceptetur à Christo ad causandam gratiam, ablata fitione causat gratiam in subiecto, modo, quo illud invenit, quando aufertur fictio; cum autem illud tunc inveniat cum dispositione, cum qua infantem non invenit, exinde causat majorem gratiam, quam in infante causaret. Ad primam confirmationem conc. maj. & dist. min. non debet esse melioris conditionis, si postea non pœniteat, & majorem dispositionem non habeat, conc. si pœniteat, & majorem dispositionem habet, quando Baptismus exercet suam causalitatem, nego min. & consequentiam; quia, quod in eo casu sit melioris conditionis, non se habet ex merito suo, sed ex merito Baptismi acceptati à DEO ad causandam tunc gratiam: si enim Baptismus non esset ita acceptatus, non reciperet homo illam gratiam, et si haberet eandem dispositionem. Ad secundam confirmationem nego primam partem antecedentis, & dist. secundam, Baptismus remitteret per se peccata hominis baptizati, nego; per accidens, conc. antec. & nego consequentiam. Sic etiam pœnitentia remitteret per accidens peccata ante Baptismum commissa, ut constat à num. 27.

35. Obijcies 4. Juxta meliorem Theologiam merita priora per peccatum mortificata reviviscunt per supervenientem contritionem; at non reviviscunt juxta contritionis mensuram, sed manent equalia; ac antea erant; ergo etiam Baptismus reviviscens erit equalis omnibus, ac proinde non conferet majorem gratiam juxta majorem dispositionem. Respondeo conc. antec. & nego consequentiam; quia illa merita exercuerunt jam suam causalitatem in subiecto disposito, & concessa fuit gratia ipsis destinata, ac proinde ex vi meritorum non reviviscit gratia major; sicut quando subiectum dispositum recipit gratiam per Baptismum, si eam postea amittat, quando iterum reviviscit, non confertur major gratia eâ, quæ prius concessa fuit, licet adsit major dispositio, cum non reviviscat alia, sed causalitas præterita, cui quidem non ista, sed altera dispositio respondebat; at verò, quando Baptismus non adhuc exercuit suam causalitatem, cum eam debeat exercere, quando aufertur fictio, & ab uno subiecto auferatur per meliorem dispositionem, quam ab alio, exinde exercebit majorem causalitatem, & causabit majorem gratiam in uno subiecto, quam in alio.

36. Obijcies 5. instando simul solutionem: quando Baptismus fide suscipitur, acceptatur à DEO ad causandam gratiam; atqui non acceptatur ad gratiâ indereminatè, sed ad certum gradum gratiæ; aliter ex vi illius acceptionis non sciret DEUS, quantum daturus esset illi

R. P. Gorman Theolog. Tom. II.

homini gratiam; quod videtur absurdum; ergo &c. Confirmatur. Si non acceptaretur ad certum gradum gratiæ, imò ad remissum, si postea per intentam contritionem tolleretur oâbex, proficeret homini illi fictio plus, quam si haberet dispositionem remissam, quando suscipit Baptismum, illumque tunc dignè suscepisset; sed hoc absurdum est; ergo &c. Resp. dist. maj. ad causandam gratiam, quando homo disponatur, conc. si non disponatur, nego maj. & dist. min. ad certum gradum gratiæ ex vi acceptionis præcisè sumptæ, nego, simul cum dispositione futura, & à DEO prævisa in alio signo, conc. min. & nego consequ.

Ratio est, quia signum acceptionis divini est signum valoris Baptismi, qui ex parte DEI acceptatus est respectu cujusque adulti illum validè suscipientis; cum autem valor Baptismi ex se indifferens sit, ut pro signo sequenti videatur suscipiens conterendus, vel non conterendus, cum hac, vel illa determinata dispositione, exinde ex parte DEI pro signo priori, non determinatur, ut conferatur ex vi valoris Baptismi determinatè gratia, neque gradus gratiæ determinatus; aliter neque Baptismus, neque Christi mors esset acceptata ex parte DEI pro peccatoribus non conterendis, quod dici non potest, neque salva consisteret libertas baptizati, si aliter acceptaretur, ut latè constabit in Tractatu de DEO. Ad confirmationem nego maj. absolute prolatam: fictio enim non proficit, sed est occasio, ut proficiat intensa dispositio postea liberè posita, quam si ab initio habuisset baptizatus, suscepisset gratiam ex vi Baptismi, eam autem nunquam suscepisset ex vi fitionis. Sic etiam peccatum, quod ex se minimè proficit, aliquando est occasio majoris gratiæ, v. g. quando quis incidens in lethale, exinde accipit occasionem intensæ contritionis, & assidue pœnitentiæ, majorem gratiam meretur posita occasione illius peccati, quam si maneret innocens, nihil de contritione, & pœnitentia sollicitus.

Obijcies 6. impugnando simul tertiam illationem: si homo in diversis instantibus cum duobus actibus attritionis intensis ut quatuor accederet ad duo Sacramenta, duplo melius esset dispositus ad illa, quam si uno actu ut quatuor simul utrumque reciperet: ergo non potest in secundo casu tantam gratiam recipere, quantum in primo. Respondeo dist. antec. esset magis dispositus, si accederet ad unum, postquam gratiam recepit ex alterius causalitate, illamque conservat, vel si utraque attritio ad utrumque disponderet, conc. si supponatur casus, in quo solum accederet ad unum quodque Sacramentum per dispositionem ut quatuor cæteris paribus, nego antec. & consequ. quia id ipsum, quod tunc contingeret, quando sola dispositio A ut quatuor deserviret Sacramento Pœnitentiæ, & sola dispositio B ut quatuor Sacramento Baptismi contingeret, quando eadem dispositio A ut quatuor utrique Sacramento deserviret, hoc

hoc autem absolute loquendo non ita evenit, quando utraque simul concurret; quia cum quaelibet ex his dispositionibus sit sufficiens, utrumque Sacramentum suam causalitatem exerceat, utraque simul potius sufficiens est, & magis disponens, & ex utraque plus, quam ex una sola subjectum manet dispositum. Ex dictis

39. Fit 1. Dispositionem requisitam, ut Sacramentum reviviscat, solum requiri, ut subjectum sit absque obice; & sic Sacramenta possunt in illo causalitatem suam exercere, & gratiam causare, licet ex alio titulo majorem gratiam causent in subjecto magis disposito: ablutio autem obicis requiritur, sicut clavis ad aperendam janua, quin requirantur duae claves, quando duo debent ingredi: sicut enim, ut Petrus, & Paulus ingrediantur per janua, sufficit una clavis, quae utrique janua aperiat; ita, ut duo Sacramenta causent gratiam in

eodem subjecto, sufficit una dispositio, quae utriusque Sacramenti obicem tollat. Fit 2. Peccata comitantia Baptismum dici peccata commissa post Baptismum negative: licet non potest, illa enim ex eo, quod committantur ab homine in eo instanti baptizato, non sunt peccata hominis infidelis, neque commissa post Baptismum; sed hominis Christiani, & fidelis, ac proinde negative commissa post Baptismum, quo in sensu vocantur à Trid. sess. 14. cap. 1. absolute peccata commissa ante Baptismum, quia absolute datur iste modus ex usu locutionis humanae, & in proprietate verborum; sic dicimus, neminem posse consecrare Corpus, & Sanguinem Christi, nisi post susceptum Ordinem Sacerdotalem: omne peccatum personale committi post usum rationis, sola peccata post rationis usum commissa esse materiam contritionis, & contritionis, & sic de millenis aliis, in quibus ly *post* sumitur negative.

DISPUTATIO II.

DE ESSENTIA METAPHYSICA, ET PHYSICA BAPTISMI.

40. **P**lures Baptismi definitiones hinc inde circumferuntur, quae omnes ex doctrina definitionis nostrae facile rejiciuntur. Moneo autem, Divum Thomam 3. part. quaest. 66. artic. 1. ut exponit ibi Eximius Doctor, non definire juxta rigorem Scholae, sed describere naturam Baptismi, dum ex doctrina Magistri in 4. dist. 3. dixit: *Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma praescripta verborum*: quantumvis Scoto, Serra, aliique Thomistae istam definitionem tanquam rigorosam accipiant. Ceterum ex doctrina Eximii Doctoris, quam sibi non obijciunt, facile impugnantur. Primo, quia ablutio est genus valde remotum; Sacramentum autem est genus propinquius. Secundo, quia explicare Baptismum per ablu-tionem potius est explicare verbum Graecum expressione latina, quam definire: etenim id ipsum, quod significat Graecum verbum *baptizo*, significat verbum Latinum *abluo*, & quod significat Graecum verbum *Baptismus*, significat nomen Latinum *ablutio*. Tertiò, quia Baptismus est Sacramentum, ac proinde concretum ex rebus, & verbis, nimirum ex ablu-tione, & forma verbali, sed non est verum dicere, ablutio est concretum, sicut non esset verum dicere forma verbalis est hoc concretum; imò, ut statim dicam, hoc est explicare in sensu materiali, & non in sensu Theologico Sacramentum; ergo &c. Ceterum ante nostram definitionem notare oportet, Baptismum in sensu materiali sumptum constare ablu-tione aquae, & sua forma verbali in prima compositione; in secunda verò superaddere tanquam formam hujus concreti Christi institutionem, ut constat

ex dictis à n. 42. de Sacr. & constabit à nom. 44. quae quidem vocatur natura Baptismi physica, & materialiter sumpta; Theologie vero sumitur pro significatione practica effectus interioris, ut bene notavit Elparza lib. 11. quaest. 37. Quo in sensu quaerimus metaphysicum aliud constitutivum. His praemissis sit

SECTIO I.

De definitione, materia, & forma Baptismi.

Aspero 1. Baptismus Theologicè sumptus pro significatione practica effectus interioris ita metaphysicè definitur: *Sacramentum characteristicum Fidei perfectissime remissionis per se omnium peccatorum praecedentium*. Probatur 1. & explicatur simul veritas definitionis illa est recta definitio, quae per aptum genus, & differentiam explicat essentiam definiti, ac per ipsam definitionem explicatur per aptum genus, & differentiam essentia Baptismi; ergo &c. Probatur min. Sacramentum characteristicum est genus proximum conveniens Confirmationi, & Ordini, quae characteristicum Sacramenta sunt, utpote characterem imprimentia. Per reliquas particulas distinguitur ab aliis, & ab aliis Sacramentis, cum per se non sit remissiva omnium peccatorum praecedentium; Baptismus enim est janua ad alia Sacramenta, sine quo non datur ad alia subjectum expolitum, ideòque praere debet, ut cetera recipiantur: per Baptismum remittuntur etiam peccata se & peccatum originale, & omnia actualia